



bit  
m  
am  
tem  
nem  
us  
st pr  
ul p  
el  
agi  
mee  
mu  
ew d  
r qu  
q. u





men dominum

**Cauia**

creaturam mendacium. vt. xij. q. i. mou  
at. s. di. xij. q. i. quod ait ptra xv. q. i. si quis  
as alias vel quo ad zelum quia volebat  
pud barbaras. nam et hosti fides est ser  
q. i. noli et ira hospes tenetur hospitem  
tionem contra eum. ff. nau. cau. l. i. in prin.

spes sui  
tis. rē.  
di. s. fi.  
la. q. si  
ar. q. rō  
tudis.  
is non  
a cul  
objci  
llige i  
tra na  
ppter  
xcusa  
i. di.  
liq.

naturam est execrabilit  
retrice sed b execrabilu  
tantū enī valet ordinat  
7 ordo creature vt in re  
dum concessis etiam ci  
ceditur longe tolerabili  
eis que concessa nō sur  
vel rarus excessus. **G**  
in li. de patriarchis.

**scdm naturam coire q  
turam delinquere**

**O**fferebat sanctus  
pudorem. nam et  
q flagitiosa imp  
tamen minus erat scdm  
coire qz aduersus natu  
re pfererat domus sue  
hospitalem gram etiaz  
paras gentes inuolab  
lenitau. confessionum libro

**Stauora sagina lun  
curam probantur c  
macula.**

Lagitia que sunt e







THOMAE VUOLPHII IUNIORIS  
IN PSALMVM TERCIVM  
ET TRIGESIMVM EX/  
POSITIO

Herebordus Margaritus Leoburgius  
empturienti proponit incitabulum.

Sancta decent castos. hæc Thomas illius ergo  
Condidit: ut pueris uirginibusq; legas.  
At rudibus tantum si credas scripta puellis:  
Falleris. Hic cibus est quem uoret ore senex.



THOMAS VULGARI IVIOTIS  
IN TRACTATU TERTIO  
ET TRACTATU IVTO  
CAPITULO

Heribordus Margaritus I. eboracensis  
episcopus propositi indicibus.

Sanctus et venerabilis pater Thomas illis ego  
Constitutus pater et magister magister  
Atque in tractatu primo et secundo  
Tullius. I. hic est et quem vocant ore tenent.



Georgius Spalatinus Mutiano Rufo  
S. P. D.

Libet Horacio succinere Mutiane doctor humanis.  
Castis cū pueris ignara puella mariti dilceret unde pre-  
ces: uatem ni mula dedisset? Hos uersus in laudem Da-  
uidici poematis iure recitare & merito quidem possum.  
Nam siue uota nuncupent & persoluāt: siue lugeant uita  
functos: siue deum unicum predicent Christiani: psalte-  
rium tanti regis ac prophetae semper tractare solent. Ut  
de ipso, sapienter pronunciaueris. Carmine dii superi  
placantur/carmine manes. Extant in psalmos & graeci  
& latini cōmentarii. Alii nimis perplexe & circūcise  
atq; adeo obscure scribit. Alii sunt plus nimio uerbosio-  
res & diffusi. Thomas uero Vuolphius Iunior Iurecon-  
sultus & Orator uir elegantis ingenii: multiplicis & ex-  
quisitae doctrinae: atq; in explicando quae sentiat mirae fa-  
cilitatis & gratiae Psalmū ordine tricēsimū terciū dilu-  
cide & breuiter exposuit: imitatus arbitror sanctū Hila-  
rium: cuius eloquentiā laudant eruditi. Hic est ille Tho-  
mas: qui puer olim Erphordia sub optimis litterarum  
professorib. ita profecit ut inter aequales conspicuus ha-  
beretur & esset quasi eximius. Dein Bononiae & Romae  
uel ipsos praecipuos quālibet egregios aequaret omnino  
latina facundia. Testis est Philippus Beroaldus: homo  
litteratissimus: qui Thomā: utpote bonū discipulum:  
ornauit amplissimo testimonio: nō uiua uoce tantū:  
sed etiam scripto durabili. Testis es & tu Mutiane uir  
acerrimi iudicii. Neq; n. sine causa dignus erat qui tibi  
carus esset. Herebordus quoq; Margaritus testis est: iu-  
uenis eruditus & nobilis: quāta sit Thomae gloria apud  
omneis homines bene sentientes de rectis studiis. Is  
enim nuper ex Argentina: ubi ab hinc annum percussus  
meru pestilenciae desedit: ad patriam & suos reueniens  
obtulit mihi praeclearā enarrationē cum insigni laudum  
preconio. Eam traditurus magistris qui formis libros  
excudūt cupiebat ut & opus & scriptorē lectorib⁹ com-  
mendarem. Id quod ego superuacuū esse censui quum



absolutissimi uoluminis pulchritudo satis emineat : &  
præstâtissimus autor sua sibi lucubratione plus ueræ lau-  
dis meruerit : q̄ aut epistolaris mensura capiat : aut ip̄e  
possim uerbis consequi. Ad te uero libellum hūc mitto  
eruditissime Mutiane : ut amici munere gaudeas. Placi-  
turū tibi certum scio. Habet. n. te nostrū hoc sæculū ue-  
lut alterū Mecenatem : qui Varronis & Plinii uestigiis  
insistens : non solū diuini & humani iuris ac tocius an-  
tiquitatis consultissimus es : sed rei quoq; li terariæ liben-  
ter patrocinaris : & probis atq; doctis uiris unice faues .  
Vale. Ex uallib<sup>9</sup> georgianis XIII. Cal. Octobr. MDVI.

Poetæ Rufi Daudis : & oratoris Thomæ  
Vuolphii Iunioris præconia laudū  
Georgius Spalatinus in arctū  
collegit.

Clarus eras quondam Delphis celebratus Apollo;  
Arcum seu libuit tendere seu cytharam.  
Prisca palæstini sed maior gloria uatis :  
Qui ceber funda psalterioq; fuit.  
Ille suas blando mulcebat carmine musas :  
Torsit & immiti spicula mille manu.  
Dulcia diuinæ dedit hic sua carmina laudi :  
Inq; Philisteum uerbera iusta ducem.  
Tam sanctos igitur cælestia munera uersus  
Fatidici regis tonsa corona lege.  
Tectus erat præsens psalmus caligine multa  
Non tulit hoc uindex lingua latina tuus.  
Vuolphius implicitum tetricūq; poema prophetæ  
Explicat : & cultu uestit ubiq; nouo.  
Ergo tibi debet psalmorum lectio Thoma  
Grammaticis quantum nobilis ille Maro.

In Poema Daudis Eobani hessi Franco-  
bergii Elegiaca commendatio.

Mantua non tautum gemino Tyberina Marone  
Laudis habet Laci lausq; decusq; soli  
Non tantū Colophon : seu Scmyrnā dixeris audet  
Quæ uate insignis cecuciente fuit.



Sulmo Pelignæo non sic Nasone triumphat  
Non tantum Hesiado Pegasis Ascra sene  
Quantum Hebræa suo tellus Dauide superbit  
Qui Solimæ uates sceptriger urbis erat .  
Rex simul & uates diuina poemata fœcit  
Desipit astrictos qui negat esse modos .  
Quæ modulo Hebræus constrinxit carmina uates  
Lege carent: quoniam uersa latinus habet.  
Ergo Palestini quisquis laudata Poetæ  
Noscere uis lyrico carmina facta pede  
Sperne Dioneæ ueneris commercia: castum est  
Quicquid Iessæi carmina uatis habent  
Sic tibi psalmographæ modulanti uerba Camænæ  
Optimus omnipotens fautor Iesus erit.

Henricus Urbanus Sacerdos ordinis Cister  
cienfis extēporaliter hoc epigrāma deduxit.

Si superos uerpi Davidis carmine placant  
Fac recutitorum mystica uerba legas .  
Nanq; sequi ueterum uestigia recta parentum  
Est laus : & sanctæ religionis opus .  
Et nisi tractabis Solymi psalteria regis |  
Cultores uiciat cella minuta suos .  
Adde quod irrasos inamœna silentia frangunt  
Cælibis at uitæ murmura casta iuuant.

Hieronymus Emser ad Librum :

Non sine proposito diuinas dicere laudes  
Atticus admonuit semina chara pater.  
Tu quoq; propositum auctoris totamq; Mineruam  
Præ te ferre mihi parue uidere liber.  
Ista sacerdotum / me hercle / dignissima cura est  
Ut tractent psalmos nocte dieq; sacros.  
Nam si quid toto abscondit natura sub orbe  
Hoc latet in psalmis : imo magia latet.

A iij



THOMAS VOLPHIVS IVNIOR DE  
CRETORVM DOCTOR IOANNI  
KEYSERSBERGIO THEOLOGO  
CLARISSIMO SALVTEM.

Dum proxima hyeme doctissime uir grauiter ægrotare  
ac ueluti quibusdam aceruis infortuniorū pene oppri/  
merer / quæ tua humanitas est me sæpe consolatus es/  
ac speciosissimis munusculis prosequutus . Nihil plane  
eorū omisisti quæ uel præsentē leuarent ægritudinē / uel  
tuū erga me amorem testarentur. Cum uero nulli ho/  
mines; sicut receptissimi auctores pdiderūt: a bene bea/  
teq; uiuendi studio sint remotiores quā qui αχαριστοι  
a græcis ingrati a nostris appellantur. Nos beneficii col/  
lati memores: gratiā rependere cupientes / quas in psal/  
mum Terciū & trigessimum lucubratiunculas subcisiuis  
horis excudimus: tuo nomini nuncupatim dedicamus.  
Quod si hæc qualiacunq; sunt tibi placuisse cognouero  
mox ad alia fortasse maiora haud inuit<sup>9</sup> accingar. Credo  
non defuturos qui hunc laborem: si labor dici meretur:  
inclemēti fanna ac petulanti cachinno excipient. At nos  
huiusmodi fecem hominū & semp contempnim<sup>9</sup>: & de/  
inceps quoq; contēnem<sup>9</sup> magnifice. Quod enim potest  
esse acutū eorū iudiciū qui tamen si sacris operantur: ni/  
hilomin<sup>9</sup> pro libris liberos: pro psalterio psaltriam ha/  
bēt: diuitias prorsus omni philosophiæ præferentes: me  
rito digni qui ab optimo quoq; damnentur. Aduuarūt  
studia nostra Herebordus Margaritus Leoburgius non  
tam genere q̄ scientia insignis . & Petrus Eberbachus  
Erphordiensis puer supra ueri fidem eruditus: qui mul/  
tas doctissimorū hominū nostræ ætatis epistolas ad me  
datas perinde ac quædā secretiora mysteria collegerūt:  
& has ipsas enarratiunculas ac alia quæpiā me dictante  
diligentissime exceperūt. Mirū est ut me recreat tantus  
studiorū ardor: qui in Germanica iuuentute nunc fla/  
grantissimus esse dinoscitur. Spero fore ut breui lacialis



ille candor Romaniq; nitores ita in nostratium ingeniis  
florere conspiciantur q̄ solet in his qui uel ex ip̄o Italiae  
meditullio foelicissime profilierūt. Vale celeberr. Doctor  
& quicquid id est litterarii muneris grato animo suscipe  
Argentoraci cursim ex aedib. nostris pridie Idus Iul.  
Anno. MDVI.

THOMAE VUOLPHII IUNIORIS DE  
CRETORVM DOCTORIS IN PSAL  
MVM TERCIVMET TRI  
GESIMVM HYPOTHE  
SIS SIVE ARGV  
MENTVM

Hic Psalmus inter reliquos Tercium & trigessimū obti  
nens locū: totus in eo uersatur ut bonos non solū metu  
pœnarū sed etiā prēmiorū exhortatiōe efficere laboret.  
Hic iustorū prēmia memorant: hic impiorū pœnæ de  
scribunt. Hic boni & iusti inuitantur ad dei laudē: pre  
ponitur illis bonorū & malorū operū retributio. Huc  
adde quod misteria fidei nostræ uix alibi tam pfecte con  
tinentur. Constat hūc psalmū a Dauide prophetarum  
principe peroratū: dum in Geth Palestinorū Vrbe haud  
in celebri insidias Achis regis simulata rabie aufugisset:  
quæ historia copiosissime explicatur a Iosepho iudæo li  
bro sexto antiquitatū: & habetur primo Regū cap. xxi.  
Vide hic simulatū furorem uati nostro profuisse. merito  
dixit Horati<sup>9</sup> Dulce ē desipere loco. Testāt ānales Roma  
norū sic olim Iunium Brutū primū Cos. ne a Tarquinio  
superbo auunculo occiderēt finxisse stulticiam ac inde  
Bruti nomen sortitū. Quod referre placuit ne sæcula  
riū litterarū plus æquo admiratores in propheta nostra  
simulatā culpārent demenciā. Sed iam istis omiſſis in  
terprætationē ipsam Christo bene fauente auspiciemur.



## BENEDICAM DOM. IN OMNI TEMPORE

O stultas hominū mentes o pectora cæca. Libet sic exor  
diri a Lucretii auctoritate. Quotusquisque ē qui dei be  
neficiorū memor illum ex toto corde & ex tota anima  
amplectatur & colat ut dicat cū psalmographo. Benedi  
cā dñm in omni tēpore. Tardi sumus ad dei opt. Max.  
laudes: proclivi ac festinantes ad uitia: quibus iugiter  
intemperāterq; seruimus. Intumescimus supbia & in cæ  
lū erigimur. Quid? quod cælū ipm cogitationes nostræ  
transcendūt. Spes quoq; & uota in longū protendimus  
Hic ædificat tanq̄ semper uicturus. Ille opulentiori tur/  
piter adulatur dum ad alienā hereditatē auidus aspirat.  
Alius feriatus domi se occludit ut in ocio & sagina ad  
uentris usq; diruptionē pinguescat. At alius iniuriarum  
memor nil nisi uindictas animo uersat & talionē repen/  
dere querit. Is longā peregrinationē suscipit/ terras trās  
currit. maria transietat ob quæstū & lucrū. Iste uitæ pro  
digus: cōiugis & natorū immemor: ferro succinctus ad  
militiā properat. Ita pleriq; omēs & sensu & ratione ab/  
utimur. Semper terrenis insistimus: nunquā tractamus  
cælestia. Quū tamē statū rectū: sublimē vultū: rerū oīm  
fabricator deus nobis contulerit: ut mūdi huius spretis  
illecebris diuinæ suæ maiestatis perpetui simus contem  
platores. dicente Ingenioso Poeta.

Pronaq; cum spectent animalia cetera terram

Os homini sublime dedit: cælumq; uidere

Iussit: & erectos ad sidera tollere vultus.

Nonne igitur ingrati sumus? nonne malī debitores? qui  
inexplicabilia hæc dei beneficia non cognoscimus. Vnde  
alibi Propheta indignabundus. Mutuabitur inquit pec/  
cator & non soluet. Nempe a deo imperiū: rationē: intel  
lectū: & quinq; corporis sensus mutuū accepim⁹. Ergo  
igitur ne regius noster propheta a maligno hoste per/  
inde ac malū nomē possit accusari: dicat quoq; mutuari  
& nō soluere: quāta maxima potest uoce ex imis pre/  
cordiis clamat. Benedicam dñm in omni tempore.



## SEMPER LAVS EIVS IN ORE MEO.

Hac sententia Christiani dogmatis veri cultores admonentur assiduis immortalē deū laudib. extollere. Igitur nec aduersa sic nos frangant: nec secūda sic erigāt: quin ubiq; temporū ubiq; locorū artificem deum dulci modulatione ueneremur.

## IN DOMINO LAVDABITVR ANIAMEA

Hoc stulti Epicuri: Hoc mollis Sardanapali imitator: Hoc qui cum impio Protagora nullū esse deum existimat. Hoc qui reliquas id genus philosophorū quisquiliās colit dicere non potest. Is enim credit omnia fortuitu geri & uariā in rebus humanis fortunā ludere: nihil iudicio dei fieri. Animā & corp<sup>9</sup> simul interire nullū post huius uitæ dissolutionē esse sensum. Sed ueræ philosophiæ hoc est Christianæ religionis assertor hæc friuola cōmenta & impias ouiniones aspernatur / animā credit esse splendidissimā & immortalem diuinit<sup>9</sup> creatam. Itaq; uere dicere potest In dño laudabit anima mea.

## AUDIANT MANSVETI ET LETENTVR

Nil aliud in hoc toto psalmo agere molit̄ Propheta q̄ ut iustos consoletur & malos deterreat. Quod in sequentib. apertissime cognoscemus: ait igitur. Audiant mansueti & letentur. Nempe eripiet & liberabit eos domin<sup>9</sup> a pelago huius sæculi: quia post bona opera desertis corporib<sup>9</sup> ad æternam beatitatem frequēti angelorum multitudine stipati commigrabunt.

## MAGNIFICATE DOMINVM MECVM :ET EXALTEMVS NOMEN EIVS IN INVICEM.

Quamuis uariis tribulationib<sup>9</sup> coarctaris o homo / nihil ipse debes impiū nihil blasphemū sentire. Sed semp magnifices dominū: & alios uel amicitiaē uel sanguinis nexu tibi copulatos: Imo etiā extraneos & ignotos ut ibentidem id agant & magnū dei nomē in inuicem exaltent hortari non desinas.



EXQUISIVI DOMINVM ET EXAUDI-  
VIT ME : ET EX OMNIBVS TRIBVLA-  
TIONIBVS MEIS ERIPVIT ME.

Attende singularem diuinæ maiestatis pietatem : quæ se exquirentes pienter exaudit. Sed dices quomodo exquiratur diuina maiestas? Exquiratur certe elemosina: oratione & ieiunio. Hæc em̄ Chrysostomo testate omnium bonorū prima & fortiora sunt. Qui stipatus his tribus bonis ad deum accesserit proculdubio exauditur. Elemosinā & ieiuniū sic laudat Prudentius.

Perfusa non sic amne flamma extinguitur:

Nec sic calente sole tabescunt niues:

Vt turbidarum scabra culparum seges

Vanescit almo trita sub ieiunio.

Si blanda semper misceatur largitas

Hinc sancti deum exorare cupientes elemosinam & ieiuniū orationi coniunxerūt. Daniel uir desideriorū per hæc bona cognouit futura : Niniuitæ iram placauerunt dei ut in Iona & Matheo legitur. Et repetitum in decretis canonicis de peri. distin. i. c. uoluissent. Helyas & Moyses his bonis auxiliātib. dei familiaritate potiti sunt. Attamen elemosinæ & ieiunio longe præstat oratio. Cuius quantæ sunt uires cum ueterū tum neotericorū historiæ liquido commonstrant. Ezechias ab Assyriis : quorū rex Sennachareb graui bello uexatus ad orationē confugit: & prostratus in faciem rogauit deum ut se adiuuaret. Misit ad Esaiam prophetam & quosdā sacerdotes quemadmodū in antiquitatū libris scribit Iosephus: poposcit ut orarent & factis sacrificiis p̄ salute cōi rogarent deū: q̄ spem hostiū frangeret: & populo suo misericordiā condonaret. Exauditi sunt orantes : tantā em̄ pestilentia immisit in hostes deus: ut prima nocte eorū qui obsidebant Hierosolymā pestifero morbo deperirēt centū octogintaquinque milia. Præterea idem Ezechias quū graui languore detentus : a medicis foret despera-



tus nec ipse de se nec amici spei aliquid ulterius haberet:  
& alia ad hoc angustia torqueret quod moriturus esset sine  
successore. Rogavit ut paruo tempore uitam concederet  
donec filios haberet. Audiuit orationem deus: uidit lachry  
mas: adiecit quindecim annos ad uitam: concessitque pro  
lem. Generauit enim Manassen: qui in imperio deinde  
successit. Nonne Centurio ille apud Matheum supplici  
ter orans puero suo morbo intercutis aquae laboranti  
sanitatem impetrauit. Sed & tres mortuos Christus do  
minus noster aliorum precibus deuictus reddidit uitae.  
Quartum diuina auctoritate iussisset resurgere: Verum  
quia defuerunt uiui qui pro eo precarentur resuscitari  
non meruit. Refert Eusebius: quod nunc succurrit: unde  
cimo ecclesiasticae historiae libro Theodosium imp. Chri  
stiani nominis inimicos Eugenium & Arbogastem: magno  
paganorum exercitu irruentes: magis oratione: quam telis aut ar  
mis fregisse. Nolo praeterire id quod scribit Io. Andrea: in Cle  
men. de rel. & uene. sanct. Effectum inquit orationis sumus  
in Italia nuper experti. Quando enim uersibus illis Exurgat  
deus: coepit ecclesia contra rebelles orare: pempti & ex  
terminati sunt quasi subito qui censura ecclesiastica &  
armis bellicis iam dudum domari non potuerunt. Et ut ali  
quid etiam ex ethnicis proferamus in medium. Ibius poe  
ta lyricus cum a sicariis in silua armis opprimeretur: du  
plices tendens ad sidera palmas: attollens in caelum ocu  
los: grues forte illac uolitantes precatus est ut sibi hos  
sicarios ulciscerentur. Quod postea ut graeci scriptores  
prodiderunt euenit. Comprehensi enim sicarii & facinorosi  
admissum confessi meritis luerunt poenas. Hinc ortum  
Adagium & ἰβυκὸν γερῶνοι id est ibici grues. Infinita  
sunt huiusmodi quae possem exempla recensere. Sed quid  
aliena commemoro? de me ipso loquar qui nuper exper  
tus sum quid possint orationes iustorum. Siquidem  
quam morbus gallicus atrocissime nos infestaret: & essem  
perinde ac alter Iob ulcerosus: uiri quidam sanctitate &  
doctrina conspicui: aliquot etiam sacerdotes simplicis ac  
recti ingenii ad deum preces pro nostra salute obtulerunt.



Quibus effectum ut dei misericordia pristinis virib. &  
 pristinae sanitati fuerim restitutus. Quippe ex omnibus  
 tribulationibus meis quas multas ac maximas ex ea lue  
 perpeffus sum eripuit me Christus opt. max. Et id quidē  
 per Nicolaum Garini venerabilem sacerdotem: qui ad  
 nos Argentoracū concessit & pharmaca adhibens salu/  
 bria ut me cito celeriter & iucunde curaret nullam dili/  
 gentiā pretermisit. Ita enim ex Cor. Celsi præcepto bo/  
 ni medici curare iubentur. Vide ergo quod illi qui ora/  
 tione dominū exquirūt exaudiūtur. Eam Hostiensis tit.  
 de peni. & remiss. §. quis sit effectus ait esse congeriem  
 uocum ad aliquid impetrandū in deum tendentiū. Et  
 subdit tredecim esse quæ ad orationē requirātur: scilicet  
 quod sit fidelis/secura/humilis/discreta/devota/uere/  
 cunda/secreta/pura:lachrymosa:attenta:cōmunis/fer/  
 uida/operosa & assidua. Sed ut nihil omittamus: putat  
 Ioan. Andreae quattuor esse quæ orationē uerā & effica/  
 cem reddere possint. Humiliationē corporis: deuotio/  
 nem cordis: attentionē & breuiloquiū. De vi & potentia  
 orationis scribens equidem de industria sum prolixius  
 euagatus. Quia sola oratio est: qua assequi poteris pro/  
 spera & euitare uel saltem temperare aduersa. Oratione  
 David exquirens deum exauditus est. Vnde nūc ait. Ex/  
 quisiui dominū & exaudiuit me & ex omnib. tribulatio/  
 nib. meis eripuit me.

**ACCEDITE ADEVM ET ILLVMINAMI  
 NIET FACIES VESTRE NON CONFVNDENTVR**

Si illuminari desideramus: Si uolumus interiorem  
 exterioremq; hominem mundiciis excolere: opus est  
 sicut paulo ante memorauimus: ut oratione: ieiunio  
 confessione oris: cordis contritione: elemosina: fide &  
 id genus aliis bonis operib. accedamus ad dñm Christū  
 Bene nūc dñ Accedite ad eū & illuminamini: Bene mox  
 illud subiungitur Et facies uestræ non confundentur.  
 Quum scilicet districtio iusti iudicii ingruerit. quando  
 iniqui signabuntur ut perpetuis cruciatib. torqueantur.



**ISTE PAUPER CLAMAVIT ET DOMI  
NVS EXAUDIUIT EVM ET DE OMNI  
BVS TRIBVLATIONIBVS EIVS SALVAVIT EVM.**

Sacer Hieronimus enarrans hunc locū ita ad uerbū di /  
cit: Christus domin⁹: qui pro nobis paup factus est: ad pa /  
trem in passione clamauit: uel iste pauper idest Dauid  
clamauit quando dixit. Domine deus uanum fac consi /  
liū Architophel: & ecclesia clamat modo. Quid hoc in /  
terpretamēto elegantius dici potest? Quia tamē arentis  
ingenii est & infœcundi semper aliorū dictis inniti: Di /  
co nihil prohibere cur minus intelligere queas hoc de  
Iona propheta esse dictum: qui in uentre ceti tribus fuit  
diebus & tribus noctibus & de utero piscis orauit ad do /  
minū deum suū & dixit. Clamaui de tribulatione ad do /  
minū & exaudiuit me Quid? Si hic dicerē intelligi posse  
Esaïam prophetā: qui tametsi ipse generis nobilitate &  
forte etiā diuiciis florebat: Videns tamē scripturis iniquis  
falsisq; obligationib⁹ decipi multos innocētes simplices  
ac egestosos sub persona pauperis clamauit dicens. Dis /  
solue colligationes impietatis / solue fasciculos deprimē /  
tes / solue omnē colligaturā iniquitatis. Reuiuiscens Esa /  
ias quid nunc diceret? profecto easdem preces / eadem  
uota repeteret. Nempe hoc sæculo grauissime uidemus  
opprimi pauperes fœneratorū calūniis: ac ære alieno gra /  
uari. Nec hoc tantū fit inter ipsos sæculares: sed qui ini /  
ciati sunt ipsa quodāmodo sacerdotia pro nephas cum  
summo dedecore prostituūt: Diuina & humana haben /  
tes uenalia: quorū creberrimum studium est sacerdotes  
opprimere: & ab eis quod iure poli non debēt / iure fori  
extorquere. Eos qui sic agunt Mutianus Rufus homo  
doctiss. & mihi amiciss. dum Bononiæ anno ab hinc sex /  
to philosopharemur: nouo utens uocabulo dictitabat  
Romanari: idq; non minus turpe esse quā græcari. At  
nunc quod dolenter referimus sancta apostolorū limi /  
na frequentius ambitio q̄ deuotio terit Nam qui Romā  
eunt / siue Italici siue prouinciales id fere omnes moliūt:  
ut illinc aliquādo in Christi patrimoniis stipendiosi dis /

B



cedant. Hoc eorū opus: hic labor est: quomodo possint  
pauperes & simplices sacerdotes ruri sacrificia ministrā  
tes ex sedib⁹ suis deturbare. Nec tamē inf cias im⁹ ī urbe  
reperiri: qui bonorū uirorū causas acerrime tutentur: ne  
minem prorsus iniuria afficiētes. Inter quos fide & dex  
teritate cōprimis enitescit. Michael Sāderi iurecō. & po  
licioris litteraturæ amator max. Quo cū in florenti Bo  
noniēn. achademia Beroaldo clariss. dicendi magistro  
oratoriā docente uixim⁹ familiariter. Huic proxime suc  
cedit Iacobus Brunius conterraneus noster philosoph⁹  
non penitendus. Declinantes autem in obligationes ut  
prophetæ uerbis utar. Videamus quid agunt Causidici?  
quid notarii? quid isti aduocati? quid formularii? quid ta  
belliones? quid demū hi omnes in foro iudiciario uersan  
tes & actiones tractātes urbicas. Nonne fasciculis scrip  
turarū & laqueis suis innocentissimos quosq; tenent ir  
retitos: Sicut enim in decretis canonicis traditū est. xxii.  
q. iiii. Innocens credit omni uerbo & hoc est innocentē  
esse ignorare quid noceat. Et plane tales ad tribuual iu  
dicis stantes dum de re quapiā interrogati duo uerba re  
spondent: ea postea ab actuariis formulariisq; in longis  
simā orationē dilatantur. Hi nanq; sunt qui uerba & le  
ges ipsas tanquā cerdo corium extendūt: trahuntq; di  
cta repugnantia ad id quod uolunt propositū. Non ab  
re Nicolaus tercius ut Platina scribit. Notarios: tabellio  
nes: utpote sanguine pauperū & litigantiū uiuentes a se  
ut pestiferos reiecit: Et Pius secundus: litigatores aues:  
forum aream: iudicem: rete/patronos aucupes dicebat.  
In hoc genus hominum multa grauiter perorauit in A  
pologia Vuimphelingus: uir omni præconio maior.  
Verum ut eo redeat unde degressa oratio: præcat⁹ ē sum  
mo studio Esaias ut huiusmodi scripturas iniquas sol  
ueret deus: præcatus inquā sub persona pauperis & ex  
audiuit eum domin⁹. Videmus etenim huiusmodi decep  
tores grauib⁹ quottidie incōmodis affici aut liuore & in  
uidia uiuentes corroduuntur: aut aliquo turbantur infor  
tunio: aut stimulante conscientia quā Fabius esse ait lo  
co mille testiū intra se male affligūtur. Quod si omnino



prosperare eis in hac uita eueniūt omnia : nihil contra opi  
nionem: nihil contra sententiā succedit / nil ea fœlicitate  
infœlicius. Scribit enim in decretis canonicis . c. nisi . xx  
xiii . q . i . nihil esse infœlicius fœlicitate peccantium . Sic  
postquā in hac uita ut ipsi putant fœliciter ex iniquita /  
tibus suis & fraudib<sup>9</sup> magni auri aceruos accumularint :  
atq; ad sui ostentionē celsa ædificia extruxerint : sine he  
rede & successore moriuntur : uel si ea successoribus di  
mittunt : ab eisdem dissipatur breui temporū curriculo  
quod ipsi solliciti & anxii longis annorū spaciis fœnore  
aut periuriis accumularunt . Sed sic se habet male paritū  
male disperit / quod ipm Plautus scribit in penulo & a  
M. Cicerone ī antonianis repetitū . Seneca quoq; ad Lu  
cillum . Nulli inquit cui rapina fœliciter cessit : gaudium  
rapti durauit in posterū . Et nos huius uersus interpreta  
tioni finem imponentes cum Esaia propheta suppliciter  
rogamus deum : ut soluat fasciculos deprimentes & ini /  
quas obligationes Dicat quoq; omnis populus fiat fiat .

**ET MITTIT ANGELVM DOMINVS IN  
CIRCVITV TIMENTIVM EVM ET ERI  
PIET EOS**

Quis hæc quottidie fieri non cernit? custodiuntur enim  
ab angelis timentes Christum & uallantur Hieronymo  
auctore / prælidio angelico : qui cordis puritate timet &  
uenerantur deum .

**GVSTATE ET VIDETE QuONIAM SV  
AVIS EST DOMINVS**

Quis tam hebes est & stolidus ut non cognoscat suauitatem /  
pietatem / clementiā / mansuetudinē domini dei  
nostri . Ipse enim populum Israheliticū quadraginta an  
nis in deserto esurientem manna nutriuit / & nobis nūc  
se ipsum præbet panem uiuum : cælesti nos pabulo quo  
tidie reficiēs ī remissionē peccatorū . Qui tradidit semet  
ipm p nobis oblationē & hostiā deo in odorē suauitatis

B ii

— No



sicut meminit Paulus ad Epheseos. Et nos in tantum di-  
lexit ut crucem pro salute omnium sustineret. Suavis  
inquam dominus qui uniuersum terrarū orbem bonis  
malisq; dedit incolendum: attestante Prudentio.

Immo etiam iniustus pariter iustusq; sub uno  
Axe habitant; unas capit impius & pius auras.  
Pluit super bonos & malos: Terram quot annis facit ger-  
minare ac producere fructus. & æque ut ille ait  
Furis & innocui fecundat rura coloni.  
Præterea Suavis est dominus / cunctis enim placabilis  
ueniam dabit peccatorib<sup>9</sup>. Nam mulieri quæ erat in ci-  
uitate peccatrix dixit. Remittentur tibi peccata. Et cum  
Scribæ ac pharisei aliam mulierem in adulterio deprehē-  
sam uellent secundū legem Mosaicā lapidibus obruere.  
Iesus inclinans se deorsum & digito in terram scribens.  
Qui sine peccato est uestrū primus in eam lapidē mit-  
tat & eo pacto mulierem liberans dixit. Vade & iam am-  
plius noli peccare. Vnde eleganter scriptū est in decre-  
tis canonicis .xxii. q. iiii. c. actione. Quod omne peccatū  
deus indulget si quis ex toto corde pœniteat. Sumant  
ergo terreni principes a cælesti exemplū / discant esse piū  
clementes: suaues; benigni. discāt esse misericordes; nos-  
cant imperium in subditos in pietate magis consistere  
debere q̄ atrocitate. Parens natura uidetur demōstrasse  
clementiā potissimum conuenire principibus: quæ regē  
apūm sine spiculo produxit: Vel si habet non ad uindi-  
candū neq; ad nocendum eo utitur. Cuius rei auctores  
Aristoteles de natura animalium libro quinto & Columella  
de re rustica & diuus Ambrosius li. quinto hexameron:  
Ex his cognoscitur principū uirorū primam dotem esse  
clementiam siue misericordiam. Insigne imperatorium  
est ut olī dicere solebat præceptor n̄ Beroald<sup>9</sup> obliuisci  
iniuriarū nec exercere aculeū sed recōdere: qđ peculiarit̄  
a scriptorib<sup>9</sup> rerū attribuit Iulio Cæs. qui sicut Cicero ni-  
fallor p. Q. Ligario tradit nihil solebat obliuisci q̄ iniurias &



Multos Romanorū Imp̄p. suaves ac benigni mores red-  
diderūt amabiles gratiosos & fauorabiles: quos saltem  
huius sæculi principes imitētur si Christū imitari pudue-  
rit. Aulici autē & hi qui a secretis sunt uidētes ad seueri-  
tatē/crudelitātē/uindictā p̄pensos esse principes suos:  
crebro debent hoc Dauidis uersu ueluti lepido quodā su-  
furro ip̄orū aures p̄mulcere. Gustate & uidete quoniam  
suauis est dñs: ut simili exemplo puocati: benigni sua-  
ues & mites sint: & ueniā cōcedāt delinquētib. Hæc sua-  
uitatis gratia non inutile perstringere iudicauimus.

### BEATVS VIR Qui SPERAT IN EO

Thales Milesius unus ex septē sapientib. Interrogatus  
quisnam beatus siue fœlix: qui corpore inquit sanus: for-  
tuna locuples: animoq; non ignau<sup>9</sup> neq; imperitus est.  
Et sunt nō parū multi philosophi in ea heresi ut arbitren-  
tur eum beatū esse qui primo habeat sanitatē: deinde for-  
mā/tercio uires/quarto diuicias. Sed p̄fecto nō est ita:  
Quid em̄ si uincas incolumitate corporis Asclepiadē:  
pulchritudine Paridem/uiribus Herculem aut Milonē:  
Diuiciis Midā aut eum qui Xerxis innumerabiles co-  
pias epulo ferrur excepisse Quid si hæc omnia quæ iam  
memorauī fortunæ bona affluentissime habeas/non ob-  
id fœlix beatusq; unq̄ cēseberis. Nempe iuxta Solomonē  
omnia quæ in mūdo sunt uanitas. Quis igitur uere bea-  
tus sit docet te nūc Dauid qui sancti spiritus gratia cōmo-  
nitus de immortalī deo loquēs dixit. Beatus uir qui spe-  
rar in eo. Sic reiectis philosophorū friuolis opinionib<sup>9</sup>.  
Is solus censeri debet beatus etiā si sit in hoc præsentī sæ-  
culo miser & calamitosus: qui habet fidem firmā & spem  
directam in Christo.

### TIMETE DOMINVM OMNES SANCTI EIVS QVONIAM NON EST INOPIA TIMENTI/ BVS EVM.

Iubemur hic omni tempore deū timere & colere: At nūc  
illius tantū quādo in malis sumus aut graui necessitate  
preminur meminisse solemus: Non est mendatio loc<sup>9</sup>:  
cernimus id quotidie fieri in ip̄so mundo. Si enim belli



tremor infremuerit: si morborū pestifera uis incubuerit: si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit: si saeva tempestas: si grando ingruerit: fiunt supplicationes: gestantur simulachra sanctorū/seriæ indicuntur/iubentur ab opere quiescere artifices:eunt:circueunt:supplicant:cantant/libant sacrificant sacerdotes. Ad deū confugit/a deo petitur auxiliū: deus ut subueniat oratur. Si graui/ter ægrotamus: si in mari uento seuiente iactamur: si aliqua ui afflictamur/mille sanctis / mille uota uouemus. Tunc enim ut Plinius secūdus scribit uotorū precipuus locus: cum spei nullus est. Postquā pericula recesserunt dei quē in ipsa necessitate implorauimus non amplius meminim⁹: nec eius diuinam maiestatem timemus: Id sancti uiri non faciunt siquidem in timore dei semp uer/santur scientes Propheta nostro dicente Quoniam non est inopia timentibus eū. Vide q̄ preciosa res est timor: q̄ ut Isidorus refert semper emendat: semper expellit pec/catum: semper reprimit uiciū: semp cautū facit hominē atq; sollicitū. Ergo sapientiss. Solomon sapiētissime dixit Initium sapientiæ timor domini. Nec me fugit aliū esse timorem qui seruilii & abiecti animi inditiū est Cuius meminit Vergi. in quarto æne. dum ait; Degeneres ani/mos timor arguit. Sermo noster de sancto timore est. Is ubi deest uicia regnent necesse est. Quisquis igitur pe/rire non uult: quisquis in sanctitate perseuerare cupit / idem perseueret in dei timore: Cogitet tremorem fu/turi iudicii in quo omnes actus nostri a iusto iudice dis/cucientur: a cuius sententia nulla erit prouocatio. Opti/me igitur nunc propheta dicit; Timete dominū omnes sancti/eius: quia non est inopia timentib⁹ eū: & quare? quia timētes deū nullius rei indigebunt: quin etiā cum angelis æterna beatitate fruuntur.

**DIVITES EGVERVNT ET ESVRIERVNT  
INQVIRENTES AVTEM DOMINVM NON MI/  
NVENTVR OMNI BONO.**

Hoc est diuitū propriū ut semp egeant: & in magnis opi/bus sint pauperes: esuriunt & sicut substātiās pauperū:



& quāto plus habuerint tanto plus cupiūt. Horatii ex li.  
primo epis. sup hac re testimoniū est. semp avarus eget.  
Laudāt hoc oēs Hemistichion: At noster ppheta multo  
clarius multo expressius quū dicit diuites eguerūt & esu  
rierunt. Dic obsecro qui magis egent / qui magis esuriūt  
q̄ diuites auari. Scribit Hieronimus in proœmio ueteris  
instrumenti: auaro non tam deesse quod habeat q̄ quod  
non habet. Hinc scite ac eleganter in illis lucidissimis no  
tibus Fauorin<sup>9</sup> Philosophus apud Au. Gelliū Indigen  
tiam ait nasci non ex inopia magna sed ex magna copia.  
Refert Censorinus in li. de die natali non quāto quisq;  
plura possideat / sed quāto pauciora optet tanto esse lo  
cupletioem. Nec quicq̄ ea re est uerius non enim possi  
dere plurima sed plurimis non indigere diuitē facit. Itaq;  
nō sunt qui vulgo putantur locupletes nec diuitias ha  
bent / sed a diuiciis habentur / multis quoq; anxietatib<sup>9</sup>  
circūdati / multis curis augunt / multis quoq; doloribus  
cruciantur. Quid ergo diuitias affectam<sup>9</sup>? quæ per mille  
pericula quesitæ afferūt tot mala / quæ infœlicem in hoc  
sæculo faciunt & in futuro. Quid ita? nam pecuniarū cu  
pidus rabie quodāmodo detēt<sup>9</sup> sæuit in optimū quēq; :  
Impius est in parentes: odio habet fratres / fastidit nepo  
tes: Et saturnia fame pcitus desiderat propriā deuorare  
prolē. Ad hæc nullū affinē diligit: neminē amicū nouit.  
Quid autē amicū dicim<sup>9</sup>? ne ipm quidē scit deū. Verissi  
me scripsit Ambrosius li. primo hexameron & repetitū i  
decretis canonicis. c. sicut hi. xlvii. dist. qd̄ insanit auari  
mens: & semel uinculis cupiditatis astricta semp aurum  
semper argentū uidet: semper redditus computat / gra  
tius aurū intuetur q̄ solem: Ipsa eius oratio & supplica  
tio ad deū aurū querit. Itaq; non oprat avarus: quod est  
apud Iuuenalē: ut sit mens sana in corpore sano: sed cre  
bra illi de auro & argento suspiria. Vbi quæso inter illas  
auri cupiditates dei timor / dilectio proximi: meditatio  
mortis: perhorrescētia extremi iudicii. Multi Christiani  
nominis ignari ut liberius philosopharētur patrimonia  
abiecerunt & paupertatem ut rem sæcurā sunt amplexati.  
Ita Socrates. ita Diogenes. ita Thebanus Crates eminē



tiff. philosophi. Ita ex Romanis imperatorib<sup>9</sup>. C. Fabri-  
cius qui a sannitibus oblatā dono grandē pecuniā acci-  
pere respuit: de quo illud apud Claudianū contentus ho-  
nesto Fabricius paruo spernebat munera regū. Nos ue-  
ro qui ueræ philosophiæ hoc est Christianæ religionis  
sectatores sumus: nihil in uotis magis q̄ aurū habem<sup>9</sup>:  
quod spinarū in morem quacūq; ex parte tangitur cru-  
entat man<sup>9</sup> & vulnera infligit: ut qui illud habeāt ægesta-  
te laborare & nulla fœlicitate potiri uideantur. Nempe p̄  
omne scelus pecuniarū cupidi præcipites agūtur. Apo-  
stolus Paulus ad Thimoteū scribens ait Radix omnium  
malorū est cupiditas: quā quidē appetentes errauerūt a  
fide & inseruerunt se doloribus multis. Hinc illa apud  
Persiū suspiratio qua monemur ut discamus quis mo-  
dus argenti: quid fas optare quid asper uel utile numm<sup>9</sup>  
habeat. Propheta noster duobus ut sic dicā uerbis / hæc  
om̄ia explicās diuites inquit eguerūt & esurierūt: Quo  
dicto absterret nos a cumulatione diuitiarū temporalium:  
quæ tot secū uehunt incōmoda quot sunt harenæ maris  
& possidentes nō beant sed damnant: Et simul nos mo-  
net ut diuinā maiestatem cultu & ueneratione inquiram<sup>9</sup>  
eo pacto nos posse uere diuites fieri & bonum consequi  
quod est super omne bonū. Videam<sup>9</sup> quid dicit. Inqui-  
rentes. dñm nō minuēt om̄i bono. Ergo iuxta prophetæ  
doctrinā contemptis opibus: repudiatis diuiciis: per bo-  
na opera inquiram<sup>9</sup> solū dominū: ne priuemur æterno  
bono: ne demergamur in profundū inferni ubi fletus &  
stridor dentium ubi nulla redemptio.

## VENITE FILII AUDITE ME TIMOREM DOMINI DOCEBO VOS

Nunc Propheta more oratorio auditores reddit beniuo-  
los quādo dicit Venite filii Nā qui magnis præditi sunt  
dignitatibus dum subditos aut filios uocāt / aut socios:  
aut alio cōsimili uocabulo eos blande alloquūtur ni mi-  
rum beniuolentiā sibi conciliant: Sic Aeneas apud Verg.  
O socii neq; enim ignari sumus ante malorū O passi gra-



uiora sic Cæsar apud Lucanū ad milites suos bellorum  
O socii & cetera. Attētos etiā fœcit propheta in hoc uer-  
su ipsos auditores Dum breuibus explicat q̄ grandia q̄  
utilia sit traditurus. Timorē inquit domini docebo uos.  
Et quid est per deū immortalē qđ maiorem utilitatē ma-  
ius cōmodū mortalibus afferat q̄ dei timor: Qui solus  
teste Lactancio Firmiano: custodit hominū inter se so-  
cietatem per quē uita ipsa sustinetur: munitur gubernat.  
Multa paulo ante de timore dissertauimus nō est igitur  
opus eadem sæpe repetere: ne fastidiū pariant studioso  
lectori. Quāobrem in hoc uersu laconismo utentes ad re-  
liquorū interpretationē alacriter pergamus.

### QUIS EST HOMO QUI VULT VITAM ET DILIGIT DIES VIDERE BONOS.

Multi sunt tam impudētis ingenii & opinionis pueri: q̄  
ut eū habere uitam & uidere dies bonos arbitrentur: qui  
rerū affluentia abunde ditatus scortū domi potest alere:  
& suauissimis eduliis refarcire uentrē: mox uentre disten-  
to seruulis māclare ut chartas lusorias afferāt: tesseras &  
aleam portent: deinde curent rem popinariā: ut gutturi  
uētriq; satissiat: cui cēsus suppetit ut possit huiusmōi ca-  
ducis delectationib⁹ largiter operā dare bonos dies vul-  
go habere existimatur: Tanta stulticia inuasit mentes ho-  
minū: Cum ediuerso talia curātes in summa miseria uer-  
sentur & nihil distent a mortuis. Probat id Salusti⁹ quū  
ait Multi mortales dediti uētri atq; somno: indocti: in-  
cultiq; uitam sicut peregrinantes transiere: quib⁹ pfecto  
contra naturā: corpus uoluptati: anima oneri fuit eorū  
ego uirā mortēq; iuxta existimo: quoniā de utraq; sileēt.  
Summo igitur studio cauendū ne bonos dies reputem⁹  
quos a sotorū turba in precio habet: dū beluinis uolup-  
tatibus dedita turpi ocio tempora transmittit Illud sub-  
inde repetens quod Esaiæ. xxii. capite legitur Edam⁹ &  
bibamus cras enim moriemur. Apicius aliquis hos forte  
dies bonos diceret: & ita transactos | meliori: qđ aiūt: la-  
pillo signaret: sed reuera boni non sunt. Si uis scire quo  
pacto ueram uitam & uere bonos dies assequaris audi  
quod sequitur.



PROHIBE LINGVAM TVAM A MALO  
ET LABIA TVA NE LOQVANTVR DOLVM.

Decreuimus in hoc uersu interpretando latissime ex-  
paciari: & multorū auctorū testimoniis ostendere nihil esse  
conducibilius q̄ prohibere linguā a malo & labia a dolo  
custodire: Nam si linguā a malo prohibeas si quodam  
quasi carcere inclusam detineas pace & trāquillitate frue-  
ris. In manu linguæ inquit Solomon mors est & uita. Et  
sane nihil reperitur quod maiorem perniciem hominib⁹  
afferre possit q̄ linguæ immoderatus usus. Quot sunt q̄  
ob linguæ intēperantiā in maximas inciderunt calami-  
tates: Dicere solebat Verg. Maro Tacēdū semper esse nisi  
cum taciturnitas aut sit obfutura aut oratio profutura.  
Hinc Samius Pythagoras primus philosophiæ nuncu-  
pator: ut in libris floridorū tradit Apuleius: nihil prius  
discipulos suos docuit q̄ tacere. Ex cuius symbolis & il-  
lud est: linguā coherce imprimis imitās deum. Apollo-  
nius ille Thianeus per Pythagorica incedens uestigia le-  
gem silenciosam ualde probauit. Et Diogenes Laercius  
refert Chilonis Lacedæmonii preceptum esse: Linguam  
semper quidē sed in cōuiuio presertim cōtinendā: prox-  
imo non maledicendū Alioquin audituros quæ nos me-  
rore conficiāt: Quod summe obseruasse Xenocrates phi-  
losophus apud Vale. Maximū legitur. Is enim quū ma-  
ledico sermoni quorundā summo silentio interesset uni  
ex his quærenti: cur solus linguā suam cohiberet Respō-  
dit Quia dixisse me aliquando penituit tacuisse nunq̄.  
Non sine causa rerū parens natura homini dedit omnia  
duplicia: duos oculos: duas aures / duas manus / duos  
pedes: linguam uero unā: ut ea scilicet quū unica & so-  
la sit q̄ parcissime uteremur: Scite igitur & elegāter Zeno  
philosophus adolescentulo inepta plurima loquēti Iccit-  
co aures inquit habemus duas & os unum ut plura au-  
diamus loquamur pauca. Probatur Hesiodus apud Au-  
Gelum quia scribit linguam non vulgandam sed recon-  
dendā esse perinde ut thesaurum. Docet. M. Tulli⁹ in epi-  
stola didaschalia ad fratrem quum iracundia maxime  
animū moueat tum esse diligentissime linguam conti-



nendam. Sed heu multi Therſitam Homericū imitantes  
ſine ratione & modo loquuntur: quod quū in locis pri-  
uatis rum publicis maxime fugiendū eſt. Nec ſolū a de-  
tractione & a maledictio: ſed etiam a iocis intempeſtiuis  
abſtinendū. Sunt qui ut aliis riſum excuciant in diutur-  
nas collabuntur luctus. Socrates olim Philadelpho ſoro-  
rem Arſinoem capienti uxorem dixit: in ſanctā minime  
rimulam trudiſ aculeum: Ob quod dictum ut meminit  
Plutarchus in uincula coniectus multo tempore putri-  
dus intabuit: & intempeſtiuæ dicacitatis meritas penas  
dedit. Theocritus phūs feſtiuus haberi uolens quū regē  
Antigonū altero carentē oculo Cyclopē uocaſſet inter-  
fici iuſſus eſt. Legimus quoq; apud Au. Geliū a cenſori-  
bus multos cauillatores quod ioca quædā intēpeſtiuiter  
dixerāt grauiter fuiſſe mulctatos. Si gentiles & ethnici tā  
ſeueriter in eos animaduernerūt qui petulātius & inciui-  
lius loquuti: qua pena plectendi ſunt: quæ ſuppliciorum  
genera merentur qui ex ſubſelliis eccleſiaſticis populo  
p̄dicantes intēperantius cōuiciantur in cuiuſcūq; ordi-  
nis & p̄feſſionis uiros: uelut e plauſtro: ut græcū habet  
adagiū: ſcōmata diēteriaq; iacētes. Hi ſunt nōnulli con-  
cionatores qui inter deraſos ſacerdotes reformati & ob-  
ſeruātes dici gloriantur: audaculi proſus & temerarii  
Ac ſicut Beroaldus præceptor me<sup>9</sup> dictitare ſolebat: me-  
ris nugis meris preſtigiis populū fallentes. Sed et Cam-  
panus Aprutinus Antiſtes huiuſcemōi monachos dia-  
bolos nūcupans: ait omnia tentare ubiq; pūgere: undiq;  
inſidiari: deniq; meiere ubi nequeāt cacare: & quū mali  
deſināt eſſe effici peſſimos. Verū ad inſtitutū redeamus  
frenāda maxime lingua eſt a malo & a labiis dolus pro-  
cul arcēdus: ne aliud ore pronūciem<sup>9</sup> aliud corde reti-  
neam<sup>9</sup> quod doſoſi facere ſolent dū ſimplicib<sup>9</sup> impone-  
re cupiūt: Talem Megadorū ſenē plautin<sup>9</sup> Euclio calum-  
niatur: Vna inquit manu panē oſtētat: altera fert lapidē.  
Extat apud iureconſultos titulus de dolo malo quo edi-  
cto ut inquit Vlpianus pretor aduerſus uarios & do-  
loſos: qui aliis obſuerunt calliditate quadam ſubuenit-  
ne ue illis malitiā ſua ſit lucroſa / uel iſtis ſimplicitas



damnosa. Addit Vlpianus dolū malū ita a Seruio diffi-  
niri esse machinationē quandā alterius decipiēdi causa  
quū aliud agitur & aliud simulatur Ab ea re uir bonus  
merito abstinere debet id quod prophetæ nostri testimo-  
nio comprobatur.

### **DIVERTE A MALO ET FAC BONVM**

Legitur in decretis canonicis .c. de forma .xxii. q. v. Qd  
nō sufficit abstinere a malo nisi fiat qd bonū est. Et Chri-  
stostomus ait sermone .xxxvi. de uirtutibus & uiciis Sa-  
tis mali est hoc ipm nihil fecisse boni. His subscribit diu<sup>9</sup>  
Bernhard<sup>9</sup> libro meditationū Sicut inquit peccatū ē p/  
petratio mali sic delictū ē desertio boni. Grauis siquidē  
iactura est quū nec bona facim<sup>9</sup> nec bona cogitam<sup>9</sup>: Qui  
bus constat neminē unq̄ saluari posse quantūuis a malis  
operibus abstineat nisi faciat qd bonū est Et parū est ne-  
mini nocere nisi studeas multis prodesse. Facillime autē  
a malo declinaueris & bonū feceris si iuxta Chilonis La-  
cedæmonii præscriptū agnoueris te ipsum. Dices quo-  
modo me ipsum agnoscere potero? Audi Bernhardū de  
conscientia ædificanda cap. lxxvi. dicentē. Discute quid  
sis: quid fueris: quid esse debueris: quid esse poteris: qd  
fueris per naturā: quid modo sis per culpā: quid esse de-  
bueris per industriā: quid adhuc esse poteris per gratiā.  
Nonne per hæc Bernardi uerba poterit seipsum quisq;  
agnoscere: poterit & Prophetæ nostri legibus facilius ob-  
temperare ut scilicet a malo declinet & quod bonum est  
faciat.

### **INQUIRE PACEM & PERSEQUIRE EAM**

Verbum persequi ut annotauerūt grammatici duplicem  
habet significationē: Modo idem est quod insectari & in-  
sequi: Modo cum perseuerantia sequi: ita hic sumitur &  
apud Therentiū in andria. Hinc bellum fugiens meq; in  
Asiam persequens proficiscitur: igitur persequere pacem  
hoc est diligenter sequere. Saluatoris uox est Beati paci-  
fici quoniā filii dei uocabuntur. O magnum præmiū O  
magnā mercedē ut pacis amatores & beati sint & filii dei  
esse dicantur. Et si diligentius sacram scripturā rimatus



fueris nihil inuenies quod crebrius in ore habuerit fer/  
uator noster q̄ nomē pacis qui apostolis pacē uelut sum  
mū bonū pro quodā quasi testamēto relinquens dixit.  
Pacem meam do uobis: pacem meā relinquo uobis Et  
ranta est uirtus pacis ut Paulus epistolas suas semper a  
pace tanq̄ auspiciatissimo & sanctissimo nomine exordia  
tur. Et p̄fecto sicut Cicero scribit Nomen pacis dulce est  
& ipsa res salutaris. Prudenter quoq; Phocylides εἰ γὰρ  
εἴς μακαρεσσὶν ἐστὶν οὐκ ἂν πολὺς ἐστὶν Si discor /  
dia beatis esset non polus stetisset. Adeo nihil quātūuis  
firmū sine pace diuti⁹ subsistere poterit: nec est quicquā  
qd̄ in uita magis delectet q̄ pax: concordia / trāquillitas.  
Ego quoq; ut de me fatear nunc de pace scribens exulto  
& gētio & hoc nomē iterū atq; iterū repetens mire re/  
creor. Tametsi nescio quo meo fato in pace mihi uiuere  
non datur. Est qui me placidū exagitat: mouet quietū:  
struit insidias: minat̄ hostiliter: infestat: interturbat ociū  
nostrū litterariū: qui netiā paucula quæ possidem⁹ sitit  
auidissime: uocat a libris ad lites & cum tutari deberet  
maxime / insidiatur maxime.

Sed tu Christe Iesu feram repelle

Quæ circumfremit ac uorare tentat

Insanos acuens furore dentes

Quorsum me trahit dolor? Hæc alibi a nobis diffusius  
explicantur. Redeo nūc unde digressus sum. Tradūt in  
ecclesiastica doctrina nō proletariū auctores nulla bona  
opera deo nostro absq; pace esse accepta Ideoq; non tam  
uere q̄ eleganter scripsit Prudentius in psychomachia.

Quisq; litare deo maētatis uult holocaustis

Offerat in primis pacem: nulla hostia Christo

Dulcior: hoc solo: sancta ad donaria uultum

Munere conuertens: liquido oblectatur odore.

In hac re miserandi sunt qui uxores habent uel ut recti⁹  
loquar qui ab uxoribus habentur: Nam inter sexcentos  
uix unum aut alterū comperies qui cum pace deo litare  
possit: Rarissime simul habitant pax & mulier: Vxor cū  
dote: lites: clamores: discordias: supercilium tibi mox in  
domū est allatura: Vnde illud recte emanauit satyricum  
Semper habet lites alternaq; iurgia lectus: In quo nupta

C



iacet & Q. Cicero. M. Ciceronis frater dicere solebat Li-  
bero lectulo nihil esse iucundius. Gemini quoq; oratoris  
sentētia Qui sine lite est caelebs est: Quod sensit ille qui  
monumento suo in hæc uerba incidi fecit titulum litis &  
obiurgii plenum. Heus uiator: miraculū: hic uir & uxor  
non litigant: Qui simus non dico: at ipsa dicam: hic Be-  
brius Ebrius me ebriam nominat. Hei uxor etiā mortua  
litigas. Non miror interpretem decretorū germanū ho-  
minē & iureconsultorū maximū ti. de peni. dist. ii. ubi  
de Iesu filio Iosedech fit mentio & diaboli stantis a dex-  
tris eius Diabolū fuisse interpretatū pro uxore: Et recte  
quidā putauerunt non si ipa sapientia ducenda sit uxore  
ducendā esse Quicūq; igitur pacem inquirere cupiunt  
ab uxoribus caueant: & magis a concubinis quæ multo  
sunt deteriores. De re uxoria Vdalricus Zasius synchro-  
nos noster: ætatis nostræ Seruius Sulpicius: sub incude  
litteratoria quæpiam fabricatur: ubi homo eruditissim⁹  
totum hoc negotiū & graphice & eleganter explicabit.  
Ceterū quid de mercenariis patronis & aduocatis pres-  
biteris dicemus genere hominū futili & flagitioso inqui-  
runt ne pacem. Minime Immo plerūq; lites suscitāt: ueri-  
tatem opprimūt: innocentes & iustos fraudulēter & do-  
lose decipiunt. Abstineant quæso amatores pacis a foris  
litigiosis in quibus quisq; laudabilior quo fraudulētior.  
Ait de se ipso Aurelius Augustin⁹ libro nono cōfessionū.  
Placuit mihi subtrahere ministeriū linguæ meæ propter  
immundā loquacitatem ne ulterius puerilia meditarer:  
Domine Iesu non legem tuā: nō pacem tuā sed insanias  
mendaces & bella forensia. Non ab re Iustinianus Imp.  
C. de epis. & cle. l. placet prohibuit ne clerici sint aduo-  
cati Dicit idem imperator in. l. repetita eo. ti. absurdum  
esse clericis imo etiam opprobriosum si peritos se uelint  
ostendere disceptationū forensium. Præterea in. c. i. ne  
cle. uel mo. phibetur clericis aduocare nisi in causis ec-  
clesiæ pupillorū & orphanorū. Et secundū Hostien. hoc  
debent gratis facere. Obsecro ubi sunt isti clerici aduo-  
cati qui bonas causas sine mercede tudentur & quorum  
iura siue patrociniā non sint auro uenalia Hinc emana-



uit quod vulgo decantatur ius panem acquirat: De rabu-  
lis forensibus non parum multa conqueritur Petrus de  
Aliaco cardinalis Cameracensis. Veteres Romani ut id obi-  
ter dicamus pacem cōprimis religiose coluerunt in cui⁹  
honorē Vespasianus Cæs. post triumphos & romani im-  
perii firmissimū statum templū ædificauit eius templi in-  
gētia fragmēta & molem admirandā anno abhinc sexto  
non sine admiratione conspexim⁹. Fuit & ipsius Vespas-  
iani cadauer in monte auentino ad ædem diui Sabæ no-  
bis ostensum: Verū hæc eo libello qui de antiquitatibus  
romanis inscribitur satis a nobis memorantur. Sed iam  
claudendus hic uersus cuius interpretatio lōgius q̄ con-  
stituerā p̄uēctā. Bene igit̄ diuq; ualeāt inq̄sitores pacis  
contenciosis quæ moliuntur infeliciter succedant.

### OCULI DOMINI SVPER IVSTOS ET AVRES EIVS IN PRECES EORVM

Vbi sunt isti philosophorū greges diuinā negantes pro-  
uidentiā: ubi sunt qui dicunt deum non curare humana  
eum nec gratia moueri nec ira tangi: tandē resipiscant:  
Audiant quod dicit psalmographus Oculi domini sup  
iustos & aures eius in preces eorū Magna certe in iustos  
dei gratia his uerbis denotatur quādo eos non solū ocu-  
lis misericordiæ respiciat dominus: sed et paratas aures  
habere memoretur quibus eisdem benigne & clemēter  
exaudiat.

### VULTVS AVTEM DOMINI SVPER FA- CIENTES MALA VT PERDAT DE TERRA ME- MORIAM EORVM.

Horribilis sententia qua male agētes perinde ac fulgure  
quodā seu tonitruo contracti terrore inexplicabili concu-  
ciuntur & a peccatis deterrentur. Quid enim horribili⁹  
q̄ audire dei vultū super facientes mala: Nemo itaq; sibi



blandiatur si luxu rerū affluentissimus multis annis im-  
pune peccauerit: Quū nullus sit qui iudicium dei possit  
uel uiuus effugere uel mortuus. Tametsi multi in hoc sæ-  
culo pmissu diuino florere conceduntur: ut lapsu ma-  
iore ruant sicut de Ruffino scripsit Claudian⁹. Lento ete-  
nim gradu ut Valerius testatur diuina procedit ira: tar-  
ditatemq; supplicii grauitate compensat. Præterea ne de-  
linquentes & impii in misericordiā dei plus iusto speran-  
tes putent fore ut post multa annorū milia & post horri-  
biles diuturnosq; cruciatus cum ipsis Cacadæmonibus  
aliquando liberentur: quod Origenes & alii quidam cre-  
diderūt: subiūgitur a propheta ut perdat de terra scilicet  
p̄petuo uiuentiū memoriā eorū: Nam flagiciosi & semel  
æterna morte rapti recedent ex memoria dei & p̄petuis  
cruciatibus torquebuntur.

**CLAMAUERVNT IUSTI ET DOMINVS  
EXAUDIUIT EOS: ET EX OMNIBVS TRIBVLATI  
ONIBVS EORVM LIBERAVIT EOS.**

Non nocet ut Plato dixit bis idem dicere & græcū ada-  
gium est ΔΙΣ ΚΑΙ ΤΡΙΣ ΤΟ ΚΑΛΟΝ idest bis terq; pulchra di-  
cereda. Vnde quū Propheta noster sæpe superius dixerit  
iustos sub tutela dei uiuere & eosdem in tribulationibus  
pienter exaudiri: Nunc iterū hoc repetit ut sic eos qui p̄-  
cul a recto tramite aberrarūt ad uirtutis semitā reuocet:  
ducatq; ad uitā iusticiæ. Et quo alacrius id agāt ostēdit  
iustos in rebus aduersis nūq̄ deserī: Vnde alibi apud eun-  
dem legitur. Junior fui etenim senui & nō uidi iustū de-  
relictū. Semp̄ enim iusti ab insidiis malorū potenter eri-  
piuntur: Nos itaq; iusticiæ leges sectemur quæ iubēt ho-  
neste uiuere/alterū nō ledere/ius suū unicuiq; tribuere.  
Agamus quod Christus in euāgelio precepit & in decre-  
tis canonicis .i. dist. notatur. Omnia quecūq; uultis ut fa-  
ciant uobis homines & uos eadem facite illis hoc enim  
est lex & prophetæ. Secundū hanc legem & prescriptum  
agentes iusti reuera erimus & clamantes exaudiemur.  
Nec est quod hic sanctos martyres obiicias: quasi illi de  
tyrānorū suppliciis nō fuerint liberati: liberati plane sūt



ut hic scribit Cassiodorus quando ad caelorum regna transf  
uecti: omnibus tribulationibus p[ro]bant exuti. Clamor enim  
iustorum ut idem auctor est: non solum ad temporalem sed  
maxime ad aeternam utilitatem semper exauditur.

#### IVXTA EST DOMINVS HIS QUI TRIBV LATO SVNT CORDE.

Non simpliciter his qui tribulato sunt corde adest domi  
nus: Nam multi quotidie tristantur ob saecularium rerum di  
spendia. Nempe diuites auari & qui pecuniarum tenentur  
amore: qui gloriam concupiscunt: qui corporum sunt amato  
res: qui consumuntur inuidia: qui iniuriis facile promouen  
tur: luctibus quidem macipati in mœrore pauperie & tri  
bulationibus uersantur. Suntque omnes tribulato corde:  
sed his iuxta dominum esse constanter negamus. Quid ergo  
hic dicitur? qui tribulato sunt corde scilicet peccata sua  
deflendo per contritionem Christum habebunt auxiliarium Chri  
stum habebunt consiliarium. Etiam si milia mœrorum irruant:  
cunctis superiores existent. Præterea pro ipsis doloribus  
ac tribulationibus amplissima premia consequentur quia  
ut Prudentius auctor.

Spektor hæc Christus deus  
Compensat æuo intermino  
Propriaque collegam crucis  
Larga coronat dextera.

#### ET HUMILES SPIRITV SALVABIT

Vides hic non quoslibet humiles saluari ut eos qui for  
dido habitu & uili pallio humilitatem ostentant: & intus  
plerumque tumore & fastu dirumpuntur: sed humiles spiritu  
saluabit dominus: hoc est eos qui re ipsa & non titulo tenentur  
humiles sunt. Humilitas non personata fundamentum quod  
dam munitissimum est omnium bonarum rerum. Refert Chri  
stostomus quod unusquisque humilitate supposita tutissi  
me cuncta alia supponit ædificans. Hac uero subducta  
etiam si ad ipsum usque caelum conuersationis sublimitate per  
uenias simul omnia subtrahuntur atque in finem pessimum  
relabuntur: Nam siue orationem siue ieiunium siue miseri  
cordiam: siue pudicitiam: siue aliud quid bonorum absque



humilitate cōgreges statim cuncta defluunt cūcta depe  
reunt. Quid multa? sine hac uirtute nullus unq̄ saluabit̄  
dicente Prudentio.

Peruulgata uiget nostri sententia Christi

Scandere celsa humiles: & ad ima redire feroces.

Quo autē pacto humilitatē assequi possis docet Diuus  
Bernhardus eo libro cui titulus de Conscientia edifican  
da Super tria inquit sedet humilitatis p̄fectio: ut atten  
dat homo quid fuit ante ortum: quid est ab ortu usq; ad  
occasum & quid erit post hanc uitā: Nulla certe supbia:  
nullus fastus: nullus timor eum occupabit: inficiet / dese  
dabit: Qui se uile semen & sanguinē coagulatū in utero  
fuisse cogitauerit: & postmodū in deserto hui⁹ uitae mul  
tiugis erumnis & peccatis expositū: tandem in cineres  
conuertendū & escam uermiū futurū in tumulo. Et. M.  
Terentius Varro ille rogatorū litteratissim⁹ prouerbium  
hoc cōprimis celebrat. Homo bulla est: hoc qui subinde  
secū reputauerit quāq; superbiae macula fuerit tinctus p /  
cul dubio defecatus & purus humilis quoq; spiritu red /  
detur ac ita demum saluabitur.

### MVLTE TRIBVLATIONES IUSTORVM ET DE HIS OMNIBVS LIBERAVIT EOS dñs.

Adhuc pergit consolari iustos ne succūbant & cedant la  
boribus ne plus nimio turbentur / quū ab impiis & ma /  
lis hominibus grauiter uexantur & atrocissimis afficiun  
tur injuriis: Nemo etenim crebrius sentit fortunæ ictus  
q̄ iustus: & quāto quisq; deterior tanto est in hoc mūdo  
fœlicior: Florent plerūq; impij: auari: rapaces: impudici  
adulteri: periuri: fraudulenti / At iusti & boni: quis igno  
rat: neglecti habentur: iacent contēpti. Sed quid mira /  
mur iustos tribulari: quū etiā iusticiæ author Christus  
exquisitis penarū generibus excruciat⁹ & morte demū  
fuerit addictus: Vnde colligitur tribulationē iustis esse  
prope peculiarē. Qui non tribulatur dicit Hieronimus  
iustus non est. Et recte: Nam deus: ut auctor Seneca: ho  
mines pro liberis habet: sed corruptos & uiciosos luxu  
riose ac delicate patitur uiuere / quia non putat emenda  
tione sua dignos. Bonos autē quos diligit castigat sapi⁹



& assiduis laboribus ad usum nirtutis exercet. Cauere  
ergo isti quibus ex uoto succedūt omnia: quib⁹ fortuna  
perinde ac indulgentissima mater semp & ubiq; arridet/  
quia eorū post mortē incipient supplicia: nec ut poeta  
habent fabulæ / aut Ixionis rota perfringentur / aut Syli/  
phi saxo torquebūtur : sed æterno igni & penis inenarra  
bilib⁹ punientur. Iusti autē in ppetuū uiuent / Quū per  
tribulationes suas per quosdā quasi gradus ex huius sæ/  
culi cruciatib⁹ scandent ad regna cælōrū : quod Pruden  
tius circūscripte & breuiter in peristephano ita depinxit  
Carcer Christicolis gradus coronæ est.

Carcer prouehit ad superna cæli.

Carcer conciliat deum beatis.

Multæ sunt itaq; tribulationes iustorū in hoc sæculo sed  
de his omnib⁹ liberauit eos domin⁹. Modica uerba sed  
non modica consolatio. Quū ostenditur iustos multis  
tribulationib⁹ onerari sed de omnib⁹ indubitāter absolui.

### CVSTODIT DOMINVS OMNIA OSSA EORVM VNVM EX HIS NON CONTERETVR.

Interpretes huius loci μεταφορικος per ossa intelligunt  
uirtutes / quod sane non displicet. Quēadmodū enim  
ossibus cōstat robur hominis ita uirtutibus anima ful/  
citur Hinc est q; sancti & iusti uiri ex ipsis tribulatiōib⁹  
semper forciores resurgunt / a deo scilicet muniti scuto  
patientiæ. Quo si quispiā armatus fuerit nihil phorres/  
cit: nulla in re succumbit: hoc est qd dicitur Custodit do  
min⁹ omnia ossa eorū / unū ex his non conteretur Nempe  
omnes uirtutes patientia conseruat quæ uel sola facit ne  
labi frangi q; possit iustus: super cuius præconio a Seue/  
rino Boeotio dicitur.

Si fractus illabatur orbis

Impavidum ferient ruina:

In hanc quoq; sententiam ait Flaccus Horatius.

Integer uitæ scelerisq; purus

Non eget Mauri iaculis / nec arcu

Nec uenenatis grauida sagittis

Fuste Pharetra,



Sive per sirtes iter æstuosas  
Sive facturus per inhospitalem  
Caucasum: uel quæ loca fabulosus  
Lambit hyalpes.

Non sic impii non sic. sed trepidant solo mortis audito nomine. De his dixisse uidetur Iuuenalis satyra. xiii. Hi sunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent. Sciunt enim quod post mortem ob perpetrata scelera æternos sunt cruciatus subituri. At iusti spe futurorum nec hostium metuunt insidias / nec mortifera timent vulnera; immo gaudentes sunt in tribulatione. Scientes ut Paulus ait quod tribulatio patientiam operatur: & patientia probationem: & probatio spem: spes autem non confundit. Si uero ad litteram hunc uersum uolumus intelligere. Dicemus quod soli iusti & electi in futuro iudicio cum ossibus suis integri resurgent. Quamquam eorum membra a tyrannis & persecutoribus in minutissimas particulas concisa dilaniataque fuerint. Impii uero si membra habuerint mutilata deformato corpore mutilati resurgent. In qua opinione quosdam theologos fuisse legimus quia secundum sapientis cuiusdam dictum ubi erit dentium stridor æternus & incessabilis fletus: inaniter queritur corporum decus: Nos in hac re nihil temere affirmamus. Nam quod sancta mater ecclesia credit id nos & quidem constantissime credere profiteamur.

## MORS PECCATORUM PESSIMA

Nulla mors pessima quam mors animæ non sequitur: Sed eorum tantum mors pessima dicitur: qui in peccatis perseverant: nec per penitentiam ad meliora conuertuntur. In sacris litteris non solum ea mors dicitur quæ a philosophis animæ & corporis dissolutio describitur: sed & illa quoque quam anima igni & sulphure torquetur & in penis uiuit æternis. Ea uere est pessima. Nulla quippe ut Augustinus docet de ciuitate dei li. vi. cap. xii. Maior & peior est mors quam ubi non moritur mors. Bonorum autem mors optima est utpote quæ ipsis initium uitæ & finem miseriarum ac requiem prestat. Hinc Alcidas quidam rhetor antiquus sicut tradit. M. Cicero in tus. quest. laudationem mortis scripsit.



ET QUI ODERUNT IVSTVM DELIN-  
QUENT

Hoc decenter superiori connectitur quo non iudei tan-  
tum qui Iesum Christū oderunt: sed & heretici omnes  
intelliguntur: quando dicta prophetarū & apostolorū  
gladio maligni spiritus ac uerbi puerſi corrūpere tentāt  
Notātur & reliqui qui sub Christiano nomine nihil Chri-  
stiani agunt.

REDIMET DOMINVS ANIMAS SERVO-  
RVM SVORVM.

Hoc uaticiniū completū est passiōe Christi: quæ accidit  
sicut scribit Lactantius octauo Calen. april. duobus  
Geminis coss. Anno .xviii. imperii Tiberii Cæs. Satis  
constat Pontium Pilatum natione gallū: patria Lugdu-  
nensem sub idem tempus uniuersæ Sirix ex legatiōe pre-  
fuisse. Tum ipse dominus animas seruorū suorū redemit  
quādo execrabili patibulo fixus corpus suū sicut alibi le-  
gitur pro nostra reconciliatione hostiā obtulit deo pa-  
tri: sanguinē suū fudit in precium & lauacrū: ut redempti  
a miserabili seruitute a peccatis omnib⁹ mundaremur.  
Queris forte? cur Psalmographus dūtaxat pmiserit re-  
demptionē animis seruorū dei: quū tamē Christus ab  
ecclesiasticis scriptoribus uniuersum mundū liberasse di-  
catur. Scire debes (ut theologorū uerbis utar) qd Christ⁹  
redemit quidem omne mortale genus quantū ad precii  
sufficiētiā sed solū animas seruorum suorum nō incon-  
grue potest intelligi saluasse quantū ad efficiētiā. Quia  
solis predestinatis salutem efficit. Sed o deus bone q̄  
altū nūc pelagus ingredimur: fatemur ingenue hæc esse  
supra captus ingenii nostri. Nunc cōtenti sum⁹ ut uet⁹  
habet puerbiū: uel summis labris ista gustasse uel extre-  
mis digitis attigisse. Hæc ipsa quoq; maximis theologis  
post nos memoranda relinquimus.



ET NON DERELINQUET OMNES QUI  
SPERANT IN EVM.

Dimidiatus hic uersiculus: quod Quintilianus de gram-  
matica dixit: plus habet in recessu q̄ in fronte promittit:  
Nam si intrinsecus & ut sic dicam penitissime introspi-  
ciatur non nihil difficultatis ostendet. Facillime putatur  
fieri ut quispiā speret in deum: uerū apud probatos theo-  
logos non sine magnis laboribus id fieri posse creditur:  
quū spes apud eos sit certa expectatio futuræ beatitatis  
ueniens ex dei gratia & præcedentib⁹ meritis. Multi igit̄  
in hoc facinoroso sæculo inaniter sibi pollicentur æterna  
gaudia. Dum continenter & sine intermissione uentri &  
beluinis uoluptatibus: fœdis quoq; libidinibus p̄ omnia  
seruiūt: quia æternas sedes quas iusti inhabitāt sine me-  
ritis sperare nō spes sed p̄sumptio temeraria & incōsulta  
a magistro in tertio sententiarum nūcupatur. Quid igit̄  
agemus nos miseri mortales? quid inq̄agem⁹ nunquid  
desperabimus? minime: quid ita? nam uniuersæ uix do-  
mini misericordia & ueritas. Et alibi dicitur. Misericor-  
diam & ueritatem diligit dominus: gratiam & gloriam  
dabit dominus Quāuis enim ut dulciloquus Bernard⁹  
scribit. Ipse dominus orbem terræ in æquitate & popu-  
los in ueritate sua iudicaturus sit: non tamen futurū est  
iuditiū sine misericordia nisi forte ei qui non fecerit mi-  
sericordiam. Legitur quoq; in psalmo. lxxxiiii. Misericor-  
dia & ueritas obuauerunt sibi quod explicans Barbarus  
Hieronimus. Si peccator inquit es audi quid dicat mise-  
ricordia. Sanctus es: audi qd dicat & ueritas: Nec si pec-  
cator es desperes: Nec si iustus es superbias. Præterea in  
psalmo lxxxviii. Idem Hieronimus scribit q̄ sicut seueri-  
tas diuina terret arguente iustitia ita pietas reparat mo-  
derante clementia. Simus igitur clemētes: sim⁹ in proxi-  
mos misericordes: euomamus malignitatis uenenū: dif-  
soluamus inimicitiarū nodos: paratam sedemus iram &  
tumentes animi fluctus pacis tranquillitate reprimam⁹:  
ut & presentem uitam absq; cōturbatione aliqua trans-  
eamus & hac carne exuti talem reperiamus deū quales



ipsi: ergo nos delinquētes fuerimus. Itaq; si spes nostras  
præcedentia merita fulcire non poterunt. Veniat super  
nos misericordia dei qua subnixi suffultiq; ad sanctorū  
examina perducamur letantes in sæcula sæculorum.

Expressum Erphordiæ Anno  
M D VII.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.















THOMAE VUOLPHII IVNIORIS  
IN PSALMVM TERCIVM  
ET TRIGESIMVM EX/  
POSITIO

Herebordus Margaritus Leoburgius  
empturienti proponit incitabulum.

Sancta decent castos. hæc Thomas illius ergo  
Condidit: ut pueris uirginibusq; legas.  
At rudibus tantum si credas scripta puellis:  
Falleris. Hic cibus est quem uoret ore senex.

